

Thomas Lindemann

**Programma Quo ad Bellum Sacrum Adornandum, seu mysterium salvificae
passionis Jesu Christi summi nostri Induperatoris & potentissimi Redemptoris
sancte & sobrie recolendum & passionibus afflictionibusq[ue] milites Christianos
prementibus rite applicandum, Omnes omnium ordinum Cives Academici
observanter & officiose invitantur**

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734600372>

Druck Freier  Zugang



R U Progr 1629/c

1) Thom. Lindemann

4

3) Jochim Stocmann.



PROGRAMMA

Quo
ad

BELLUM SACRUM ADOR-

nandum, seu mysterium salvificæ pas-
sionis JESU CHRISTI summi nostri Induperatoris
& potentissimi Redemptoris sanctè & sobriè recolen-
dum & passionibus afflictionibusq; milites Chri-
stianos prementibus ritè appli-
candùm,

Omnes omnium ordinum Cives Aca-
mici observanter & officiosè invitantur,

Propositum

RECTORE
THOMA LINDEMANNO,

J. U. D. & Professore.



Rostochi

Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXIX.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn734600372/phys_0003

DFG

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
THOMAS LINDEMAN,
Juris Doct. & Professor.



*B*acchum famosum illud Deastrum, qui Gentiles, Phœnices Ægyptij, Græci & Romulides Februario hocce mense satanico spiritu perciti diabolicum illud Evoc, Evoc, & *ἰὼ Βακχε Βάκχε, ἰὼ Βακχε* acclamabant, victimis spurcissimis hostiebant ac litabant, non meraci liquoris DEUM, sed Imperatorem callidissimum voluptatum & deliciarum stratagematibus incautos hostes supplantare edoctum fuisse cùm Historici, tum Mythologi memorant; Et quidem Polianus refert Bacchum huncce Indos imperio suo subjugare satagentem cum Leoninavi perumpere nequiret, Vulpina pelle indutum clam in civitates irrepsisse, militibus ovinis tegumentis amictis hastis hederis circumvolutis armatis stipatum in cætus luxuriosos sub Comædorum larvis penetrasse, choreas excitasse, accurrentes temeto dulcissimo dementasse & hac arte Bacchica incautos & securos Indos devicisse, devictosq; perpetuæ servituti addixisse. Bacchi hujus progeniem, progressum & bellandi successum si quis paulò accuratius secum perpendat & animo reputet, eum Principis hujus mundi omnium calliditatum & stratagematum artificis Emissarium & fidelissimum

num Tribunum fuisse & etiamnum esse, facile animadvertit. Tacitus apertum Martem laudat, insidias utpote occultas objectæ mentis indices damnat; Polybius eo nomine Achæos commendat quod astu vincere probrosum ducerent, Idem tamen belli furta pulcherrimam consequi gloriam testatur. Certe plus in bello subtilia mendacia, artificiosos dolos, quam Herculeos artus seu Simsonias vires valere omnium temporum historia, & imprimis Vegetius & alij stratagematum compilatores testantur: Hinc bellico statu quævis facinorâ excusantur. Hostis humani generis protoplastos non vi aperta, sed serpentina africie adortus suavi alloquio, ac primo aspectu jucundo, gustatu dulci inescatos captos & horto paradisiaco alias inexpugnabili penitus eiecit & peccati servos fecit. Quamvis autem callidissimi hujus serpentis caput semine mulieris, conculcatum sit, non tamen ita obtritum est, quin subinde aculeatâ caudâ minetur & lethaliter pungat, peccatiq; veneno affricato infectos in perpetuum exitium secum pertrahat. Quin & ubi armis pugnandum, legionibus spirituum aerem & terram complet, Leonum rugientium more, imbellem, quem devoret, quærit. Induperator noster cœli soliq; conditor miseriam humani generis miserans, filium suum unigenitum defensorem fortissimum nobis largitus est, qui cum Principe hujus mundi congressus ab eodem astu & stratagematibus indigentia & affluentia tentatus, ast elapsus postmodum flagella expertus, consputus, cruci affixus & lancea transfossus in ima Tartara detrusus claustra orei perrupit & gloriosa resurrectione triumphavit. Huic regi, defensori nostro in cunis vagienti exercitus Angelici *ἐπιτιμίων* accinuerunt, huic Reges Sabæ dona obtulerunt, ad solam hujus defensoris


praesentiam hostis contremiscit: Macedones Rege etfi-
puero exercitum ducente victoriam sibi certam licet a
validissimis sibi pollicebantur, Ideo pugnantes Regem
in cunis jacentem in conspectu militum collocabant.
Regem nostrum ut festo Natali in cunis vagientem ad-
ornavimus & Angelico poeane excepimus, Ita nunc eun-
dem militiam sacram adornantē intrepidē galea spei &
lorica fidei induti jejunij & precū armis instructi se qua-
mur oportet. Ecce induperator noster ascendit & prae sti-
patus quidem multis Angelorū myriadibus, solus tamen
hostē pectore jejunio & precibus bene obfirmato, animo
intrepido aggreditur, ictū tentationum diversarum forti
verbi divini scuto retundit, nobisq; exemplo suo perpe-
tuam & certam, quam imitemur, formam & normam
contra hostem devictum, subinde tamen novos insultus
minitantes pugnandi praescribit, Imprimis abstinentiā
& sobrietatem praecipit. Hostis ē contra per Emissarium
suum Bacchum ingerim incautis insidiatur, clam irre-
pens animos in delicias pronos liquore dulci fascinat,
Germanorum veterum Baccho & Marti pariter litan-
tium mores inculcat, atq; ita fascinosos dementatos se-
curitatis veneno enecat: Ethnici ipsi hasce Satanæ artes
animadvertentes legibus militaribus luxuriam gravi
panā indictā cohibuerunt: Persæ ebrios milites exauto-
rarunt. Epiminondas, Hannibal & alij cordati belli du-
ces omnem luxuriam tanto profecuti sunt odio, ut ne-
quidem milites obesos & aqualiculos tolerarint: Roma-
nos ebrios milites gravi supplicio affecisse legimus: Ge-
deon milites aquam lambentes & sobrios sibi elegit, in-
curvos & ad lauricias proclives recedere jussit: Hinc Im-
peratores non Christiani tantum, sed & Ethnici bellum
incuri vel hostem aggressuri jejunia solemnia indixe-
runt,

ruunt, quod in Carolo Magno Rheginus, in Ludovico Pio
Ammonius & in Zenone Imperatore Nizephorus lau-
dant; experientia quippe edocti statuerunt Heroicos et-
jam animos deliciis delibutos evirari quasi & languescere.
De jejuniorum usu & abusu in Ecclesia Christiana Ca-
tholica disputationes & quaestiones varias saepe motas
intellexi; Meae equidem professionis non est istas discu-
tere, quin satius esse duco militibus & Civibus Academi-
cis sobrietatem imò & jejunium pie commendare; Certè
sacras juxta prophanas pandectas & historias dum per-
lustrò, jejuniorum laudes & operationes mirabiles de-
prehendo. Amphiarus summus vates sacerdotibus
oraculum consulere satagentibus jejunium triduanum
indixit; Græci Eleusina Cereri dicata sacra celebraturi
voce præconia ebrios impudicos & pollutos abesse jus-
sisse *Alex. ab Alex.* notat; Item sacris Iudis initiari vo-
lentibus jejunium decem dierum indictum fuisse Apu-
leius refert; Sed hæc & similia jejuniorum sacra natura-
lis ipsa ratio adinvenit; utpote quæ mentem defœcatham
cuius maximo rei magnæ gerendæ idoneorem esse di-
ctat. Sed non opus est Gentilium testimonia adsciscere,
Jehova ipse sacrificium solemne instituens id prævio cer-
torum dierum jejunio celebrari præcepit 2. *Paralipom. 20.*
Esa. 58. Zach. 7. 1. Reg. 21. Esther. 9. Magnis calamitaribus
præsentibus vel imminentibus ad iram Jehovæ mitigan-
dã solemnia jejunia indicta fuisse & Deo grata obve-
nisse pluribus locis sacer codex ostendit: *Nehem. 1. Joel.*
c. 1. Jonas. c. 3. Jejunavimus dicit *Esdra. c. 8.* & oravimus
Deum, & evenit nobis prospere. Similem successum je-
junium Nineviticum & Esther aliq; complura similia
Esurialia sacra habuerunt: Nec vero usus jejuniorum in
novo fœdere abolitus, quin potius stabilitus uti ex *Matt.*

c. 9. & aliis locis liquet. Quin & Apostolos ea sanctè ob-
servasse ex *Act. Apost. & Epist. Paul. 1. ad Cor. c. 7. apparet*
Omnium verò jejuniorum in veteri fœdere solenni-
mum fuit, quod singulis annis 10. die Mensis septimi ce-
lebrabatur Levit. 16. & 23 Joel. 1. & 2. quo totus populus
peccata pœnitenti corde deplorabat & remissionem
propter futuram Messiã expiationem seria & ardenti ora-
tione implorabat. Typico huic jejunio Ecclesia primitiva
jejunium quadragesimale non quidem ex legis Mosaicæ
abolitæ necessitate, sed sancta libertate & pia devotione
surrogavit. Quod patrum memoria strictissime observa-
tum fuisse Hieron: ad Marcell. adversus Montanum, Basi-
lius ad Philip. Jrenæus ad Vict. Nazianzenus Chryosto-
mus aliq̃ Ecclesiastici scriptores luculenter testantur.
Quamvis autem jejunium non in ciborum delectu, sed in
vera abstinentia consistat; tamen in veteri quoq̃ fœdere
tempore jejunijs à cibus delicatioribus & desiderabilibus,
ut sacra pagina loquitur, fuisse abstentum legimus Dan.
10. Apud Græcos quadragesimale jejunium tanta devo-
tione celebratum fuisse Nicephorus refert, ut quamvis
Justinianus ob cibarium indigentiam carnum usum
secunda Dominica Quadragesimæ indulgisset, tamen in
tota Urbe Constantinopolitana nemo carnem emptu-
riens repertus fuerit. Certè superstitione omni seposita,
jejunia certa in usum reduci Theologi juxta ac Politici
utile & pium esse censent. Unde & in reformatis Eccle-
sijs jejunia instituta meminimus, Quorum Exemplo sin-
gulari pietatis Zelo hoc novo ineunte anno Illustrissimū
Pomeraniæ Ducem Bugislaum Principem laudatissimum
ipsum diem pacificationi solemnī, quæ hoc tempore
[faxit Jehova bono omine] continuatur dicatum Esu-
rialem esse voluit & solemnī jejunio ac publicis precibus
cele-

celebravit. Et certe si quis Dominum suum hoc tempore
luctam cum infernali Dracone subeuntem aspiciat, acie
à Principe mundi institutam contempletur non potest
non somnium excutere, ocium & delicias detestari. Joa-
bo in castris degente Urias secure domi suæ molle stra-
tum premere piaculum duxit. Elephantes aspectu uva-
rum mori sanguineo colore Dominos suos læsos putan-
tes animati acrius pugnant. Ecce Dominus noster cum
hoste nostro pro nobis configit, sanguinem suum pro-
fundit, mortem & orcum vincit, nobisq; victoriam pa-
rat, Hac autem tum demum vere ponimur, quando leges
militiæ sacræ sancte servamus, loricam fidei, galeam ipci
induimus. Bacchum subinde illecebris suis nobis insi-
diantem armis precum & jejuniorum repellamus. Idq;
hoc imprimis tempore eo diligentius nobis allaboran-
dum est, quo Satanam jam terribiliorem se exhibere &
furoris reliquias sub regni sui finem evomere cernimus
& advertimus. Nos cotidie in hac Urbe dum excubias
agi, signa nocte dieq; dari, milites suis locis disponi vide-
mus, Jehovah gratias toto corde agimus, quod Bellona
undequaq; sæviente palatium tutum & in eo militanti-
bus togatis militibus asylum securum relictum fuerit.
Militiæ togatæ gubernatio cum mihi hoc tempore com-
missa sit, ejusq; pars non postrema in pia & vera ad nor-
mam Christi instituta militia sacra consistat, officij mei
esse duxi milites sub vexillis Academicis merentes ad
certamen sacrum cum Salvatore nostro incundum ani-
mare, & exercitu nostro licet exili & prope dilapso lu-
strato, aggerum Academicorum defensionem hortari
alios Bacchi satellites & sacri ordinis pestes & carcino-
mata, vel à castris nostris arcere vel severe coercitos in
ordinem

ordinem redigere. Sperabam communi Germaniæ calamitate petulantiam & lasciviam jam compescitam direptis parentum bonis filios in Academiis viventes ad frugem meliorem compositos; animadverti tamen etiamnum reperiri transfugas quosdam Bacchi emissarios, qui non tantum ipsi vitiiis desudascetes in popinis, imo lustris & fornicibus degunt, sed & innocentes studiosos seducunt, eosdem expilant, & non salgamo tantum (quod tamen ipsis militibus prohibitum fuit l. un. C. de salgamo) sed & omnibus bonis exuunt & ad mortem excruciant: Hujusmodi monstra Dux exercitus nostri jamdudum Cingulo privavit, Genuinis verò spolia ampla destinavit. Romani teste Livio lib. 39. c. 18. Bacchanalia ob eorundem abusum publico Edicto abrogarunt, nec cuiquam nisi singulari Scto orgya celebrare permiserunt, Salvator noster eadem sub æternæ gehennæ cruciatu prohibuit: Idem Hetruscorum disciplina moniti Veneri & Marti inter mœnia Urbis delubra non esse dicenda sanxerunt. Nos utrumque Deastrum Deo nostro inimicissimum esse qui novimus, utrumque uti & utriusque mancipia ex Spiritus Sancti officina exterminamus. Cum verò in Ecclesiis & pulpitis nostris, Jehova propitiante, quadragesimali hocce sacro Classicum sacrum clangat, & passio Induperatoris nostri institutio nostra, Christi crux, nostra lux, Christi iuxta nostra magistra esse debeat. *l. omnes C. de feriis*, Ideo omnes Academiæ nostræ Cives hortor, & obtestor, ut insequentes dies sacros agant, militiam bonam, militent, piis meditationibus jejuniis & precibus omne tempus transigant, iis veluti validissimis catapultis Satanicis insultibus resistent & ita depugnent ut cum Christo Victore triumphent. Hanc monitionem nostram spernentes Nemesin divinam & æternos Gehennæ cruciatus certo experientur. P. P. Dominica Quadragesima Anno 1629.



celebravit. Et certe si quis Dominum
luctam cum infernali Dracone sub
à Principe mundi institutam con
non somnium excutere, ocium &
bo in castris degente Urias secure
tum premere piaculum duxit. Ele
rum mori sanguineo colore Domi
tes animati acrius pugnant. Ecce
hoste nostro pro nobis configit,
fundit, mortem & orcum vincit,
rat, Hac autem tum demum vere p
militiæ sacræ sancte servamus, lori
induimus. Bacchum subinde ill
diantem armis precum & jejuni
hoc imprimis tempore eo diligen
dum est, quo Satanam jam terribi
furoris reliquias sub regni sui fine
& advertimus. Nos cotidie in hac
agi, signa nocte dieq̄ dari, milites s
mus, Jehovæ gratias toto corde a
undequaq̄ sæviente palatium tutu
bus togatis militibus asylum secu
Militiæ togatæ gubernatio cum m
missa sit, ejusq̄ pars non postrema
mam Christi instituta militia sacra
esse duxi milites sub vexillis Aca
certamen sacrum cum Salvatore
mare, & exercitu nostro licet exil
strato, aggerum Academicorum
alios Bacchi satellites & sacri ordi
mata, vel à castris nostris arcere v

tempore
ficiat, acie
on potest
stari. Joa
nolle stra
ectu uva
os putan
ster cum
uum pro
oriam pa
ndo leges
ileam spei
nobis infi
mus. Idq̄
llaboran
xhibere &
cernimus
excubias
oni vide
d Bellona
militanti
m fuerit.
ore com
ta ad nor
officij mei
rentes ad
ndum ani
ilapso lu
n hortari
carcino
ercitos in
ordinem

